

- Dub. 2. An, accedente bonitate finis ; maneat bonitas, quae est ex obiecto? pag. 484.
- §. 1. Sententia D. Thomae electio. ibid.
- 2. Vazquezij argumenta pag. 486.
- 3. Dubia incidentia, & eorum resolutio. pag. 487.
- Dub. 3. Utrum actus exterius addat aliquid bonitatis, aut malitiae actui interno? pag. 490.
- §. 1. Prima assertio circa membra externa. ibid.
- 2. Alia duplex assertio circa potentias internas, & sensus externos. pag. 492.
- 3. Argumenta Scoti contra primam, & secundam assertionem. pag. 493.
- 4. Argumenta adversus tertiam assertionem. p. 495.

DISPUTATIO III.

De Indifferentia actus humani.

- Dub. 1. An detur aliquis actus indifferens secundum speciem? pag. 497.
- §. 1. Nonnullae suppositiones. ibid.
- 2. Quadruplex assertio pro veritate aperienda. ibid.
- 3. Argumenta contra primam conclusionem. p. 499.
- Dub. 2. Utrum indifferentia, quam habet actus ex obiecto, sit tertia species moralitatis distincta a bonitate, & malitia? pag. 500.
- §. 1. Sententiae negativae praelatio. pag. 501.
- 2. Argumentorum solutio. pag. 502.
- 3. Dubiolum quoddam. pag. 503.
- Dub. 3. An detur actus indifferens in individuo? pag. 504.
- §. 1. Prima, & potissima assertio. pag. 505.
- 2. Assertio secunda, & minus principalis. pagin. 506.
- 3. Argumenta contra primam, & praecipuam assertionem. pag. 508.

TRACTATUS XI.

De Virtutibus.

DISPUTATIO I.

De Natura virtutum. pag. 511.

- Dub. 1. An virtus humana sit essentialiter habitus? ibid.
- §. 1. Quoddam praenotabile ad essentiam habitus declarandam. ibid.
- 2. Sententia D. Thomae. pag. 512.
- 3. Scoti argumenta. pag. 514.
- Dub. 2. Quae sit causa efficiens actus virtuosus? pag. 516.
- §. 1. Communis sententia. ibid.
- 2. Argumenta sententiae contrariae. ibid.
- Dub. 3. Utrum virtus humana aliquid efficiat in actibus, quod sit? pag. 518.
- §. 1. Animadversiones. ibid.
- 2. Dubij resolutio, per plures assertiones. ibid.
- 3. Argumenta contra primam assertionem. pag. 520.

- 4. Argumenta contra caeteras assertiones. p. 521.
- Dub. 4. Utrum sit de ratione virtutis moralis consistere in medio? pag. 523.
- §. 1. Praenotabilia ad dubij intelligentiam. ibid.
- 2. Sententia communis Theologorum. ibid.
- 3. Obiectionum enodatio. pag. 524.
- Dub. 5. Utrum possit quis male uti virtute? pag. 526.
- §. 1. Notationes nonnullae. ibid.
- 2. Opinio communis Theologorum. pag. 527.

DISPUTATIO II.

De subiecto immediato virtutis. ibid.

- Dub. 1. Utrum intellectus humanus sit subiectum virtutum? pag. 528.
- §. 1. Vera sententia D. Thomae. ibid.
- 2. Contrarius opinandi modus. pag. 529.
- Dub. 2. Utrum voluntas sit subiectum virtutum in ordine ad bonum proprium? pag. 530.
- §. 1. Sententia D. Thomae. ibid.
- 2. Argumenta sententiae contrariae. p. 531.
- Dub. 3. Utrum appetitus corporeus sit subiectum virtutis moralis? pag. 533.
- §. 1. Sententia D. Thomae. ibid.
- 2. Quae sententiae argumenta. pag. 534.
- Dub. 4. An eadem virtus moralis possit subiectari in diversis potentiis? pag. 536.
- §. 1. Communis sententia. ibid.
- 2. Aureoli argumentis occursum. pag. 537.
- Dub. 5. Utrum dentur de facto virtutes morales supernaturales, & perse insulae, quae in appetitu subiectentur? pag. 538.
- §. 1. Prima, & potissima assertio existentiam harum virtutum stabilientis. pag. 539.
- 2. Duplex alia assertio subiectum; & causam designans. p. 541.
- 3. Scoti argumenta contra primam, & praecipuam assertionem. pag. 542.
- 4. Argumenta contra secundam; & tertiam assertionem. p. 544.

DISPUTATIO III.

De proprietatibus virtutum. p. 546.

- Dub. 1. Utrum virtutes morales in esse perfectae habeant necessariam connexionem inter se, & cum prudentia? p. 546.
- §. 1. Annotationes, & suppositiones. ibid.
- 2. Sententia Thomistica cum suis fundamentis. pag. 547.
- 3. Argumenti Scoti, & eius Scholae. p. 549.
- 4. Cuidam interrogationi sit satis. p. 551.
- Dub. 2. Utrum dona Spiritus sancti sint habitus a virtutibus etiam insulas distincti? p. 552.
- §. 1. Nonnullae adnotationes. ibid.
- 2. Sententia D. Thomae duabus assertionibus explanatur. p. 553.
- 3. Argumentorum enodatio. p. 555.

TRA-



TRACTATUS VI. DE TRINITATE.

**C**ONSIDERATIS autem his, quae ad divinae essentiae unitatem pertinent, restat considerare (inquit D. Thomas in proemio quaest. 27. huius tractatus) part. 1. a qua usque ad quaest. 43. inclusive differit de sacro-sancto Trinitatis mysterio) de his, quae pertinent ad trinitatem personarum in divinis. Ad quod arcanum explanandum, hunc tractatum dicamus: sed non nisi fide magistra, & Angelic. Praecept. D. Thoma Duce. Ubi eius vestigia sequentes primò agemus de Processionibus divinis, deinde de divinis Relationibus, & postea de Personis, priùs in communi, & deinceps in particulari.

DISPUT. I.

De Processionibus divinarum Personarum.

**C**UM personae divinae relationibus constituentur, & relationes in processionibus fundentur, optima methodus postulat, ut priùs de istis, quam de relationibus, & personis agatur: hic enim ordo est scientificus, utpote à principio sumens exordium.

DUBIUM I.

Utrum detur aliqua vera & formalis processio intra Deum?

**I**uxta rectam methodum quaestio An est praecedat quaestioem Quid est, ob quam rationem in hoc primo dubio sermo nobis est de existentia processionum. Sed nota, triplex esse genus processionum: aliud enim est actionum formaliter transcendentium: & tunc contingit, quando aliquid procedit ab alio tanquam à causa, & illud simul cum actione recipitur in materia extrinseca, ut calor procedit ab igne, qui recipitur simul cum actione in ligno: Hoc autem genus processionis non habet locum in Deo propter dicta tract. 3. disp. 2. num. 75. Ad hoc genus processionis reduci valet motus praesens Paul. Theolog. Salm. Tom. II.

gressivus animalis, qui quamvis sit immanens & vitalis, solum existit in corporibus, ideoque omnino relegatur à Deo. Aliud est actionum virtualiter transcendentium, etsi formaliter immanentium: & tunc accidit, quando aliquid procedit ab alio tanquam à principio, & existit extra principium, quamvis actio maneat in ipso principio. Et licet hoc genus actionum Deo non repugnet; est tamen extra scopum huius tractatus: pertinet enim ad processionem creaturatum, de qua differit D. Thomas infra quaest. 44. Tertium genus processionum est actionum omnino immanentium, quarum terminus procedens manet in ipso agente. Et de hoc genere processionum intelligitur titulus dubij: & propterea ponitur illa particula *intra Deum*. Adiungitur alia particula, nempe *vera & formalis*, ad denotandum nos loqui non de processione metaphorica, aut ex nostro modo imperfecto concipiendi, sed de processione vera & reali. Pro qua sit:

§. I.

Catholica sententia.

**D**icendum est, dari intra Deum veram & formalem processionem unius personae ab alia. Conclusionem hanc esse

A

14

de fide plura sacra Scriptura testimonia persuadent: Nam Ioan. 8. filius de seipso dicit: *Ego ex Deo processi, & veni.* Et cap. 16. *Exivi à Patre, & veni in mundum.* Et de Spiritu sancto Ioan. 15. dicitur: *Cum venerit Paraclitus, qui à Patre procedit.* Quae testimonia & alia innumera imprimis non in sensu metaphorico, sed proprio & rigorose accipienda esse docent omnes SS. PP. nam iuxta regulam communiter receptam D. Augusti, verba sacra Scripturae intelligenda sunt in sensu proprio literalis, quando non sequitur aliquod absurdum; sed in praesenti non sequi constat ex argumentorum solutione, imo ex non literalis intelligentia sequitur destructio mysterij Trinitatis: ergo proprie accipienda sunt. Neque accipi valent de processione aliqua extra Deum: Tum, quia in alijs testimonijs dicitur filium, qui à Patre procedit, esse in Patre, vt Ioann. 1. *Filius, qui est in sinu Patris.* Et 14. *Non credidit, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Tum etiam: quia saepe à Scriptura sacra edocemur, Filium, & Spiritum sanctum esse substantialiter Deum, eiusdemque numero narrare cum Patre, idque passim confirmant Concilia & SS. PP. ergo iuxta Scripturam sacram datur processio vera & realis intra Deum.

3 Ex quibus haec brevis, sed in hac materia fati efficax, conficitur ratio. Nam de mysterio Trinitatis, & de divinis processionibus id tenendum est, quod docet Scriptura sacra, Concilia definiunt, & explicant PP. tum, quia captum rationis naturalis transcendunt: tum, quia finiculus hic triplex diffinitè rampitur; sed ex his omnibus edocemur dari veras processiones, quibus Filius, & Spiritus sanctus procedunt intra Deum: ergo ita tenendum est.

4 Deinde quamvis conclusio non possit evidentè probari, potest tamen aliquibus congruentijs sufficienter ostendi. Prima est: nam infinitè bonitati deest, & convenit infinitè communicari; sed, seclusa processione vnus personae ab alia intra Deum, non fiat summa & infinita communicatio, quia per processionem ad extra solum finito modo potest communicari, vt ostendi potest per singulas & altiores communicationes ad extra discurrendo: nam praecipuae sunt communicatio essentiae diuinae in visione beata, & Verbi incarnatio, in quibus tamen Deus finito modo communicatur: ergo datur intra Deum processio vnus personae ab alia.

Secunda potest delumè ex his, quae docet D. Thomas in hac 1. part. quaest. 11. art. 3. & 1. Contra gent. cap. 42. ex quibus conficitur ratio theologica, supposita fide de trinitate personarum in vnitate essentiae: Nam fides catholica docet, dari in Deo cum vnitate essentiae trinitatem personarum, iuxta illud Athanasii. *Fides autem catholica haec est, vt vnus Deus in trinitate, & trinitatem in vnitate veneremur:*

ergo intra Deum debet dari vna persona improducta & improcedens, à qua alia duae debeant verè & formaliter procedere. Consequentia probatur: Nam omnis multitudo debet reduci ad vnum tanquam ad primum principium, vnde propter proportionalem rationem omnes creaturae procedunt à Deo tanquam à primo & vnico principio: ergo intra Deum debet dari vna persona improducta, à qua alia duae verè & formaliter procedant.

5 Tertia desumitur ex D. Hilario lib. de Synodis, quam refert D. Thomas infra quaest. 33. art. 4. ad 4. Nam si darentur tres personae improductae intra Deum, vel essent realiter indistinctae, vel distinguerentur realiter in natura; vtrunque est haereticum: ergo datur intra Deum processio, qua vna persona procedat realiter ab alia. Maior quoad primam partem constat ex dicendis infra disp. 3. vbi propriam sedem habet. Quoad secundam, quae est huius loci, breuiter suadet: Nam distinguerentur, sed non oppositione aut distinctione relativa: ergo distinctione absoluta, seu naturae. Quam ratio sub breuissimis verbis comprehendit D. Hilarius loco proxime relato, vbi ait: *Cum Deus vnus sit, duo inaccessibiles esse non possunt.* Et D. Thom. *Ponere duos inaccessibiles est ponere duos Deos, & duas naturas diuinas.*

6 Et confirmatur (praeccludendo tacitam obiectionem Scoti) Nam si vna persona diuina non procederet ab alia, distinguerentur realiter ratione naturae: ergo distinguerentur in natura; sed idem est *distingui in natura*, ac essentiam in illis esse finitam & limitatam: ergo nulla persona haberet naturam infinitam. Minor subsumpta constat ex his, quae docet D. Thomas supra quaest. 11. art. 3. quia scilicet perfectio vnus deest alteri, neque contineretur emittenter in natura alterius, quod est signum limitationis. Antecedens verò, in quo tantum potest esse difficultas, suadet ex dicendis infra quaest. 28. Nam triplex est genus relationum, ex quibus possit oriri relativa distinctio, scilicet vnitatis & muneris, mensurae & mensurabilis, productentis & producti; sed relatio fundata in mensura & mensurabili supponit distinctionem in natura, cum vniam extremum sit perfectius alio: item relatio fundata in vnitate aut diuersitate supponit etiam diuersitatem in natura, siquidem fundatur non in omni modo identitate, sed in convenientia duorum distinctorum: ergo, nisi adsit relatio productentis & producti inter personas diuinas, distinguerentur realiter ratione naturae.

7 Tandem suadet conclusio alia congruenti ratione, qua vtrius D. Thomas in praef. art. 1. Nam in natura intellectuali creata datur processio verbi; sed Deus est natura intellectualis perfectissima: ergo in Deo datur vera processio verbi perfectissima substantialis, &

per

per se subsistentis. Maior continet doctrinam D. Thomae, qui loco citato ait: *Quicumque intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectae.* Minor est euidens. Et consequentia probatur: Quia si intra naturam intellectualem creatam & imperfectam datur processio verbi imperfectioribus involuiculis, non est cur in natura intellectuali perfectissima, qualis est diuina, non detur processio verbi perfectissimi. Ex quo vltimè fit, dari in Deo processionem aliam per voluntatem: tum quia sequitur ad processionem per intellectum; tum etiam quia militat eadem ratio.

## §. II.

Oppositus error: Et obiectiones contra praedictas rationes.

8 **A**sertioni catholicae duplex est error, est oppositus. Primus asseritur intra Deum non dari tres personas reales distinctas: quem tenuit Sabellius secutus in eos, & Mahometanos: ex quo alius oriebatur, videlicet quod nulla datur processio intra Deum. Secundus affirmabat, Filium, & Spiritum sanctum non esse personas diuinas, ob quod tenebatur concedere, omnem processionem non esse intra Deum manentem, sed extra. Ita Arius: cui ex parte adhaerebat Macedonius; quia existimabat Spiritum sanctum esse creaturam.

Et arguitur primò ex Scriptura: Nasti Ioann. 4. dicit Filius: *Pater maior me est:* Et de eodem ad Philipp. 2. dicitur: *Factus obediens usque ad mortem:* Et Sapientia, quae à nobis appellatur *verbum Dei*, dicit se esse creaturam: *Eccles. 24. Qui creauit me:* Sed persona, quae est Deus, aliam non potest habere maiorem; nec alteri vt superiori subesse, nec minus creari: ergo Filius non est Deus. Idipsum probat Macedonius de Spiritu sancto: Nam Rom. 8. dicitur pro nobis postulare, sed postulare arguit indigentiam aut impotentiam Deo repugnantem: ergo, Tandem contra omnem processionem fiat illud Ad. 20. *Beatus est magis dare, quam accipere:* Nam si à Patre procedunt Filius, & Spiritus sanctus, Pater dat, & vterque accipit: ergo Pater erit beator, & maior Filio, & Spiritu sancto; sed persona diuina non potest habere aliam maiorem ergo.

Respondetur, primum, & secundum testimonium loqui de Christo secundum naturam humanam, qua erat erator Patre, & subditus illi. Sed quia in eo erat etiam natura diuina, secundum hanc erat coaeternus, & consubstantialis Patri, & nullo modo illi subiectus. ¶ Illud de sapientia creatione exponit D. Thomas de sapientia indita creaturis, quae creata est. ¶ Ad locum adductum à Macedonio: Respondetur, Paul. I. *beol. Salim. Tom. II.*

quod Spiritus sanctus non postulat formaliter, sed causaliter, in quantum facit nos postulare. Ad vltimum: Respondetur, quod tunc est beatus dare, quam accipere, quando id, quod datur, datur liberè, & non est tantum, nec idem eam ipso dante: quando autem id, quod accipitur, est idem cum ipso dante, & necessario datur, non minus beatum est accipere, quam dare, quia non est minus in vno, quam in alio. Vel, vt inquit August. vbi nulla est indigentia accipientis, non est beatus dare, quam accipere: Videatur D. Thom. quaest. 10. de Potent. art. 1. ad 13.

9 Arguitur secundò: Nam vna persona angelica non producit aliam personam angelicam: ergo nec vna persona diuina aliam personam diuinam. Consequentia probatur: Nam ea, quae sunt in Deo, non debent esse adiuncta creaturarum imperfectiorum, sed adiuncta perfectiorum, quales sunt angelicae: ergo si vnus Angelus non producit alium, nec vna persona diuina debet producere aliam.

Ad hoc argumentum respondetur, concedendo antecedens, sed negando consequentiam: Et ad eius probationem dicendum est, quod ea, quae reperiuntur in Deo, intelligenda sunt ad instar creaturarum perfectiorum, secundum id quod dicunt de perfectione, scilicet verò secundum id quod important de imperfectione: Unus autem Angelus nequit producere alium ex maxima perfectione substantiae angelicae, ob quam petit produci per creationem: & nulla creatura nec instrumentaliter potest creare. Sufficit ergo, quod sicut in Angelis datur processio ad intra secundum emanationem intelligibilem, quod pertinet ad perfectionem naturae intellectualis, ita seclusis imperfectionibus datur intra Deum processio aliqua intelligibilis. Diximus seclusis imperfectionibus: nam quia intelligere angelicum non est substantia, terminus eius nequit esse substantia, ac proinde nec persona. Ad quia intelligere diuinum est *sum esse* & per se subsistens, vt alibi diximus, terminus eius debet esse substantia per se subsistens, & persona. Videatur D. Thomas loco supra relato de Potent. ad 5. argum.

10 Arguitur tertio: Repugnat, intra Deum esse plures personas distinctas realiter: ergo repugnat processio intra Deum. Antecedens probatur: Repugnat dari plures naturas diuinas realiter distinctas: ergo etiam repugnat esse intra Deum plures personas diuinas realiter distinctas. Consequentia probatur: Ideo antecedens est verum, quia natura diuina est infinita; sed etiam persona diuina est infinita: ergo si repugnant plures naturae diuinae realiter distinctae, etiam plures personae realiter distinctae.

Ad hoc argumentum respondetur, esse notam disparitatem inter personam, & naturam: nam infinitas naturae est absoluta, multiplicitas

4 autem absoluta opponitur infinitati de linea absoluta, eò quòd fundetur in finitate & limitatione. Infinitas vero personæ est relativa, quæ stare non valet absque oppositione relativa, neque hæc absque multiplicitate reali personarum. Ratio huius discriminis est: nam duplex est generis distinctionis realis, aliud oppositionis relativæ: & ob hoc tantum ab est, ut opponatur infinitati, quòd potius ex capite infinitatis exposcit multiplicationem realem: & hic modus reperitur inter personas divinas. Aliud est ortum ex limitatione, ratione cuius unum non potest extendi ad identificandum sibi aliud, neque ad illud eminenter præcontinendum: Et hic modus reperitur in natura divina, ex suppositione quòd daretur altera natura divina.

11 Arguitur *quarto*, contra secundam rationem. Nam prima persona intelligitur convenire essentia, independentem ab omni processione, siquidem est improducta: ergo idem dicendum est de alijs personis. Probatur consequentia: Tum quia ita intimè conveniant essentia divine sicut prima persona, cum essentia petat essentialiter subsistere immediate in tribus personis, sed quia personalitas primæ personæ, videlicet Patris, convenit immediate essentia, prima persona non est procedens: ergo idem dicendum est de alijs personis. Tum etiam quia pro illo signo, quo intelligitur persona Patris, debet intelligi persona Filij, cum sint simul natura, & cognitionis, sed pro priori ad omnem processionem intelligitur persona Patris: ergo etiam persona Filij.

Respondetur, concedendo antecedens: & negando consequentiam. Ad cuius primam probationem dicendum est, quòd eisdem persona Filij ita intimè conveniat essentia, sicut persona Patris, ad hanc sensum quòd non mediante alio per modum nexus, aut dispositionis tribuat essentia suam perfectam incommunicabilitatis, convenit tamen mediante alio per modum principij: quia essentia divina exigit personas non dispartat, sed ordine quodam, in quo clauditur processio unius ab alia: alias in Deo nulla persona esset Pater, nec Filius. Ad secundam: Dicendum est, verum esse, quòd semper ac intelligitur persona Patris, intelligitur persona Filij cum omnimoda similitudine durationis, & naturæ: sed cum hoc fiat, quòd persona Patris sit prior origine quam Filius: & quòd, dum intelligitur persona Patris ut originans, intelligatur persona Filij ut originata, in quo exprimitur processio Filij à Patre. Pro huius solutione modo dicta suffocant, quia iterum redibit sermo, dum de constitutivo personarum agamus.

12 Arguitur *quinto*, contra tertiam rationem. Si una persona procederet realiter ab alia, ex vi huius potius sequeretur personam procedentem habere diversam naturam ab ea, à qua

procedit: ergo ex vi prædictæ rationis inepte probatur dari processionem realem intra Deum. Antecedens probatur: Nam quòd procedit ab alio, debet habere diversum esse ab eo, à quò procedit: ergo diversam naturam. Antecedens liquet in processionibus creatis.

Et confirmatur *primò*: Nam repugnat entis à se, seu primo enti, primoque principio esse ab alio; sed qualibet persona divina est ens à se, seu primum ens, primumque principium: ergo nulla persona divina procedit realiter ab alia. Confirmatur *secundo*: Scorus salva fide defendit, Spiritum sanctum non fore distinctum in natura à filio, eisdem ab illo non procederet: ergo non rectè iuxta fidem arguitur, esse processionem in Deo ex unitate essentia, & distinctione personarum.

Ad argumentum respondetur, negando antecedens. Et ad eius probationem negandum est, quòd ad veram processionem unius personæ ab alia non requiritur, quòd habeat diversum esse ab alia, sicut existentia ab ea, à qua procedit, nisi in parte limitationis, sed sufficit, quòd sit per se distincta ab ea. Et hoc maxime verificatur in processione intelligibili, nam adhuc in creatis salvatur vera processio verbi, quin hoc habeat diversam essentiam seu naturam à specie, à qua procedit, sed tantum diversum modum habendi eandem numero naturam, ut diximus tract. 2. disput. 2. Unde cum processio Verbi divini sit secundum emanationem intelligibilem, & perfectissima, non requiritur, quòd habeat diversum esse essentia, sed sufficit, quòd eadem essentia diverso modo sit in persona producente, & producta.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd ei, qui est ens à se, seu primum ens, primumque principium per modum causæ, repugnat, quòd sit ab alio tanquam à causæ; & hæc ratione nulla persona divina potest procedere ab alia tanquam à causæ: Et ei, qui est primum principium præcisè per modum principij, etiam repugnat, quòd sit ab alio tanquam à vero principio; ideoque prima persona divina, seu Patri repugnat esse ab alio per veram processionem. Cæterum ei, qui est ens à se, seu primum ens (eò quòd habet naturam divinam) & primum principium per modum causæ, nullatenus repugnat, quòd sit ab alio præcisè per modum principij; & hoc modo convenit Filio, & Spiritui Sancto procedere à Patre. Ratio, cur solum competit eis habere principium, & non causam, est: quia earum processio est perfectissima, & ex vi illius petit communicari eandem numero naturam, que est in principio: Rebus sic stantibus, repugnat, quòd principium eorum habeat veram rationem causæ: quia ad veram rationem causæ requiritur, quòd id, quòd ab ea procedit, habeat veram dependentiam, & ad veram dependentiam oportet, quòd habeat

naturam numeris, vel specie diversam. Pro quo videantur N. Complur. abbrev. in lib. Physic. disput. 3. quasi. 1. ¶ Ad secundam respondetur, quòd Scorus supponit in illa hypotheti, quòd Filius, & Spiritus sanctus procederent à Patre cum relativis proprietatibus, quibus nunc gaudent; & sic asserit fore distinguendos. At verò si non essent persone à Patre productæ, non essent relativæ, nec catholicæ poterat sustineri.

13 Arguitur *ultimo*, contra vicinam rationem. Nam creatura rationalis videns Deum per essentiam non producit verbum: ergo illa maxima generalia D. Thomæ, *Quicumque intelligit Deo*, est falsa.

Hoc argumentum nullam vim habet apud eos Auctores qui asserunt in visione beata produci verbum. Sed quia nos oppositum sententiam docuimus tract. 2. disput. 2. dub. 6. nobis incumbit illud enodare. Pro quo observa, quòd ratio prædicta D. Thomæ non vincit essentialiter & demonstrative (hoc enim mysterium naturali ratione demonstrari non valet: quia non solum est supernaturale, sed alia superius, & longe transcendens) sed asseritur à Div. Thoma ad illud declarandum, & congruenter suademus supposita fide. ¶ Observa *secundo*, præcipuum scopum Div. Thomæ esse probare, contra Arium, & alios hæreticos, dari processionem intra Deum, seu relinquentem verbum intra Deum, quia Arius oppositum docebat, nempe quòd Verbum divinum ita procedebat à Patre, ut non maneret intra Deum. Ad quòd suadendum, vitatur exemplo intellectuum connaturalium, quas constat certo producere verbum intra ipsas creaturas. Unde licet visio beata non producat verbum, ob rationes quas loco supra relato assignavimus, ad intentum Div. Thomæ parum refert, dummodò per alias intellectiones producatur verbum intra intelligentem manens. Videatur omnino littera D. Thomæ. Per quòd satis constat ad argumentum.

14 Et si hæc explicatio non placet: Potest responderi *secundo*, quòd Div. Thomas in illa maxima non loquitur de intellectione visivæ, & universaliter sumpta, sed loquitur de intellectione simpliciter connaturali, qua qualibet creatura intellectualis veritatur circa suum obiectum connaturale. Et ideo efficacia huius congruentia in eo fiat, quòd cum creatura intellectualis in omni sua intellectione connaturali producant verbum, congruum est, quòd Deus, qui est in supremo gradu intellectualitatis, per suam intellectiorem omnino connaturalem, que est simpliciter cognitio, etiam producat verbum, quidquid sit de visione beata, que non est simpliciter connaturalis intellectui creato adhuc persuso lumine gloria, ut diximus tract. 2. disput. 1. num. 85.

Sed objicit *primò*, contra hanc solutionem: Angelus seipsum connaturaliter intelligit;

3 & tamen in sui cognitione non producit verbum, cum eius substantia per seipsum sit præfens proprio intellectui: ergo principium Div. Thomæ etiam sic explicatum non est universaliter verum. ¶ *Secundo*: Nam eo ipso quòd per visionem Dei creatam non producat verbum, sequitur, quòd non debeat produci per incretam. Tum quia visio Dei creata est participatio visionis, qua Deus seipsum videt: ergo si illa non producit verbum, nec ista. Tum etiam mani propterea visio Dei creata non producit verbum, quia essentia divina est ex se actu intellectus; sed hæc ratio suadet non produci verbum in intellectione, qua Deus seipsum videt: ergo. Tum denique: quia visio beata est perfectior qualibet alia intellectione creata; sed ea qua sunt in Deo, intelligi debent adinstar eorum, qua reperuntur in creaturis perfectissimis, & non in inferioribus: ergo.

*Tertio*: Quia omnis intellectio creata producit verbum ex indigentia: ergo non debet ei assimilari processio Verbi divini. ¶ Et confirmatur: Productio verbi arguit imperfectionem vel in ipso verbo, vel in ipso producente: ergo cum nulla imperfectio locum habeat in Deo, plane infertur non dari processionem verbi intra Deum. Antecedens probatur: Nam verbum vel producit ex nihilo sui per creationem; & tunc verbum est creatum & imperfectum: vel producitur ex alio; & tunc argueretur imperfectio in producente, quia careret ex se prædicto verbo.

16 Ad primam objectionem respondetur, negando minorem. Nam eisdem substantia Angeli sit eius intellectui præfens per seipsum physicè, & in esse intelligibili per modum actus primi, & ideo gerit munus speciei impressæ, non tamen intelligibiliter est præfens in actu secundo & per modum verbi: quia ad hoc erat necesse, quòd esset actus purus in esse intelligibili: & sic Angelus, dum actu se intelligit, producit verbum. Si verò Angelus in cognitione sui haberet suam essentiam sibi vicinam in ratione verbi; ut multi probabiliter volunt, tunc posset dici, quòd produceret verbum non ex indigentia, sed ex fecunditate. At huiusmodi verbum esset infinite perfectionis (hoc inconveniens infertur ex opinionione relata) quia essentia Angeli haberet ex se esse essentialiter actu intellectam, essetque suum intelligere; essentia autem, que est huiusmodi, nequit non esse infinita, & ratio producendi verbum infinite perfectionis ex fecunditate. *Vel posset dici*: Quòd non produceret verbum: & hoc proveniret partim ex perfectione, quia videlicet essentia Angeli haberet sufficientem actualitatem, ut per seipsum veniret in ratione verbi; & partim ex imperfectione, quia ad producendum verbum ex pura fecunditate requiritur perfectio infinita. Ratio huius est subtilissima: quia nimium verbum, productum ex fecunditate

te nequit esse eiusdem nature cum obiecto præcise in esse intelligibili: verbum enim istud est per se primo institutum ad representandum & constituendum obiectum in ratione obiecti actu intellecti; quod in illa hypothese repugnat: unde oportebat, quod verbum tunc productum esset eiusdem nature cum obiecto tam in esse intelligibili, quam in esse entitativo: Essentia autem, quæ est ratio producendi verbum eiusdem nature cum obiecto in vtroque ordine, nequit non esse infinita. Et propterea Angelus nequit producere verbum ex pura fecunditate, Sed inde nihil contra nos: quia omnis perfectio competens creaturis debet Deo convenire seculis imperfectioribus, ideoque essentia divina debet producere verbum ex fecunditate.

17 Ad secundam respondetur, negando assumptum. Et ad eius primam probationem dicens est, quod participare est partim sumere, & partim relinquere. Unde ex eo quod visio Dei creata sit participatio formalis intellectio- nis primordialis divine, plane inferitur, non posse ei convenire omne, quod est illi connaturale. Id autem, quod in intellectu, divina à creata participatum relinquunt, est productio verbi: quia est prædicatum exprimens infinitatem cum verbum productum in omni eventu esset infinitum, ut diximus loco supra relato. Stat ergo dari productionem verbi in intellectu- ne primordiali, quin illud producat visio Dei creata. Adde: quod visio producens verbum in divinis est notionalis, & visio Dei creata non est participatio visionis notionalis, sed essentialis & absoluta. Ad secundam: Satis constat ex proxime dictis: nam visionem beatam creatam non producere verbum non provenit præcise ex capite in ea recensito, sed etiam quia intellectus creatus non habet vim infinitam, quæ requiritur ad producendum verbum ex fecunditate seu ad producendum verbum simpliciter infinitum. Ad tertiam: Respondetur, visionem beatam, sicut & quamlibet aliam intellectio- nem naturalem dicere aliquid perfectionis, & aliquid imperfectionis. Id, quod est perfectionis in visione beata, scilicet Deum videre prout est in se, excedit perfectionem cuiuslibet intellectio- nis naturalis. Verum cum careat fecunditate, in hoc excedit saltem secundum quid ab intellectu naturali. Div. Thomas adducit ad intentum intellectio- nem secundam, relicta visione beata ceteri perfectioni, ut sic verificetur, quod omnis perfectio reperta in creaturis reperitur formaliter in Deo, seculis imperfectioribus. Per quod constat ad tertiam obiectio- nem.

18 Ad eius confirmationem respondetur, quod processio ex aliquo tanquam ex actu purissimo identificante sibi terminum, & ipsam processionem, & in eodem signo in quo inferente terminum, non arguit ullam imperfectionem

in producto, aut in producente. Et omnia hæc interveniunt in processione Verbi divini: nam imprimis Verbum divinum produci- tur ex essentia divina, quæ identificat sibi tam processionem ipsam, quam terminum eius for- malem, & proprietatem personalem: deinde Pater æternus non præintelligitur ad Verbum pro aliquo signo in quo adhuc secundum ratio- nem, sed semper petit illud producere ex fecunditate, & ita nunquam caret illo. Unde nulla imperfectio est in Patre æterno, cuiusque ver- bo, ex eo quod illud procedat ab illo.

## DUBIUM II.

Quam sint principia Processionum in divinis?

19 Explicata questione an est circa processionem divinas, gradum fecunditatis in exponenda earum principia. Pro quo beata ex Philosophia, principium processionis est duplex, quod videlicet, & quo. Principium quod suppositum: quo est forma, ratione cuius suppositum operatur: Et hoc est duplex, radicale scilicet, & proximum, ut constat in nobis intelligentibus, quorum principium radicale est anima, proximum verò intellectus. Citra dubium supponendum est, primò, principium quod processionum divinarum esse personas. Et ratio brevis est: quia saltem inter principia quod, & terminum qui processionis realis debet intercedere distinctio realis; constat autem, quod tantum inter personas divinas datur distinctio realis: ergo persone divine sunt principia quod respectivè processionum divinarum. Eò vbi maxime: quia actiones sunt suppositorum, Eadem certitudine supponendum est, secundò, naturam divinam esse saltem principium quo radiale earum.

Difficultas celebris est inter Theologos, quodnam sit principium quo proximum illarum. Nam cum in Patre (v. g.) reperitur natura divina, & intellectus, voluntas, & relatio, dubitari potest, cui ex his conveniat ratio principij proximi. Ad quod prorsus de materiali se habet, quod intellectus distinguatur virtualiter à natura, vel non distinguatur. Resolutio consistit ab assertionibus sequentibus.



## §. I.

## Assertio prima.

20 Dicendum est primò, processionem divinas esse verè & proprie actiones & non puras & simplices emanationes. Ita D. Thomas pascit in hac quest. 27. præcipue art. 3. vbi ait: *Ad cuius evidentiam considerandum est, quod in divinis non est processio nisi secundum actionem, & paucis interpositis: Processio autem Verbi attenditur secundum actionem intelligibilem.* Idemque tradit pluribus alijs in locis. Angelicum Præcept, sequuntur communiter Theologi, contra Saarium lib. 1. de Trinit. cap. 8. num. 5. & in Metaphyl. disp. 48. sect. 4. num. 10. & contra Molinam hic disp. 1. & alios.

Et probatur ratione: Nam processionem divine debent intelligi & esse ad modum earum, quæ in creaturis perfectioribus, scilicet, in actualibus vt talibus, reperiuntur; sed processionem reperte in creaturis intellectualibus, vt talibus (videlicet, processio verbi, & impetus) sunt verè & proprie actiones immanentes & vitales denudabiles ab omni imperfectione: ergo processionem divine erunt verè & proprie actiones immanentes. Maior continet expressam doctrinam D. Thomæ in præf. art. 1. in corp. Et minor quoad primam partem abunde manet probata à N. Complut. abbrev. in lib. de Anima disp. 20. quest. 1. Quoad secundam verò probatur primò: Nam ratio substantiæ est denudabilis ab omni imperfectione, quia tantum exprimit ex suo conceptu formali esse per se, in quo nulla imperfectio importatur: item ratio relationis realis est denudabilis ab omni imperfectione, quia ex suo conceptu formali exprimit tantum ordinem ad alterum, in quo nulla involvitur imperfectio; sed in conceptu actionis immanens ex suo conceptu formali nulla exprimitur imperfectio: ergo. Minor probatur: Conceptus actionis ex suo conceptu formali tantum dicit, quod sit vltima actualitas agentis, & ad summum quod aliquid per ea procedat ipsa manente in principio; sed in his nulla exprimitur imperfectio: ergo. Minor quoad primam partem constat: & propterea Deus est actus purissimus, & actualissimus. Quoad secundam suscedat: Nam vis ad producendum dicit maximam perfectionem & actualitatem denudabilem ab omni imperfectione: ergo actualis productio illi correspondens, si maneat in agente, erit maxima perfectio denudabilis ab omni imperfectione.

Explicatur hoc: Conceptus virtutis activæ potest denudari ab omni imperfectione; & propterea verè datur in Deo: ergo etiam conceptus actionis immanens. Antecedens est D. Thomæ supra quest. 25, art. 1. vbi ait: *Mani-*

*festum est, quod nunquamque secundum quod est actu & perfectum, secundum hoc est principium activum alicuius. Ostensum est autem supra, quod Deus est actus purus, & simpliciter & universaliter perfectus, neque in eo aliqua imperfectio locum habet. Unde sibi maxime competit esse principium activum. Consequenter verò probatur: Nam actio est actualior & perfectior virtute activæ secundum suum conceptum explicitum: ergo si ratio virtutis activæ est denudabilis ab omni imperfectione, potiori titulo actio ei correspondens. Explicatur magis: Deus, saltem respectu creaturarum, habet veram virtutem activam, & actionem ab omni imperfectione depuram; sed hoc nequit verificari de actione formaliter transeunti: ergo conceptus actionis immanens potest ab omni imperfectione purificari.*

21 Nec refert, si dicas, quod saltem terminus realiter productus per veram actionem non potest denudari ab omni imperfectione, ut liquet in termino omnipotentis. Non (inquam) refert: Nam actio, & potentia, si sunt denudabiles ab omni imperfectione, intantum inferunt imperfectionem in termino, in quantum terminus evadit realiter distinctus à natura, virtute, & actione principij: ergo dum terminus productus sibi identificat naturam, virtutem, & actionem principij, denudatus manet ab omni imperfectione, vt in divinis contingere necesse est. Videatur dicta num. 18.

22 Sed obijcies primò cum D. Thoma hic art. 1. vbi ait: *Non ergo accipienda est processio, secundum quod est in corporalibus, sed secundum emanationem intelligibilem.* Ergo processio in divinis est emanatio. Secundò: Si processio divina esset vera actio, terminus eius verè esset quid actum per eam; sed hoc dicit imperfectionem, cum dicit rationem effectus: ergo processio divina non est verè & proprie actio. Tertiò: Nam de ratione actionis est, quod oriatur à suo principio per veram elicitationem, quod sit productio termini realiter distincti tam ab ipso producente, quam ab ipso termino, quod sit medium inter duos terminos à quo & ad quem, ac tandem quod supponat potentiam passivam, in qua recipiatur; sed hæc omnia dicunt plurimas imperfectiones: ergo in Deo non est verè & proprie conceptus actionis.

Ad primam obiectio- nem respondetur, nomine emanationis non intelligere D. Thomam aliquid distinctum ab actione, prout hæc est analogum respectu actionis immanens, & transeuntis, sed prout emanatio distinguitur ab actione transeunti, de cuius ratione est, quod non remaneat in ipso agente. Et quod hæc expositio sit iuxta mentem ipsius, patet ex eius verbis antecedentibus, & subsequantibus: *Non ergo* (inquit) *accipienda est processio, secundum quod est in*

corporalibus, vel per motum localem, vel per actionem alicuius cause in exteriorem effectum, vel calor a calefaciente in calefactum; sed secundum emanationem intelligibilem: cum antea præfuit: Cuius omnis processio sit secundum aliquam actionem: sicut secundum actionem, qua tendit in exteriorem materiam, est aliqua processio adextrâ; ita secundum actionem, quæ manet in ipso agente, est aliqua processio adintrâ. Et hoc maxime patet in intellectu, cuius actio, scilicet intelligere &c. Cum ergo ex tota hac doctrina concludatur, processionem Verbi esse emanationem intelligibilem, nomine emanationis non debet intelligi aliquid distinctum ab actione immanentem.

Ad secundam respondetur, hæc nomina *agens*, & *actum* apud Latinos significare causam, & effectum; cum tamen *actio* ex communi acceptione non significet actum secundum correspondentem causam ut tali. Vnde cum pluribus loquendum est, licet cum paucioribus sentiendum. Sicut Pater dicitur principium Filij, & tamen Filius non dicitur principatus, ut inquit D. Thomas infra quæst. 33. art. 11. Si vero velis illa nomina accipere ad significandum omnem id, quod producit, in hoc sensu Pater potest dici *agens*, & Filius *actus*, cum Pater verè producat, & Filius verè producat. ¶ Ad tertiam respondetur, omnia illa inconuenientia esse propria actionis prout *creata*, & maxime transeuntis: non verò actionis, prout analogum est ad actionem immanentem, & transeuntem, ad creatam, & incretam: etenim prout tantum dicitur rationem *ultima actualitatis* cum aliqua egressione siue virtuali, siue essentiali, in quo nulla imperfectio invenitur.

## §. II.

## Assertio secunda.

23 **D**icendum est secundò, actiones, in quibus processionem diuinam consistunt, non esse tanquam à principio proximo quo à natura, prout hæc præintelligitur vel ex parte rei conceptæ, vel ex modo concipiendi intellectui, & voluntati. Ita D. Thomas in hac quæst. & communiter Theologi, contra Durandum in 1. dist. 6. quæst. 2. Et probatur primò ex sacra Scriptura. Nam Filius in ea dicitur Verbum, & Spiritus sanctus Charitas seu Amor; sed verbum est terminus intellectus, & amor voluntatis: ergo iuxta Scripturam processionem diuinam non sunt actus solius naturæ, sed sunt actus intellectus, & voluntatis. ¶ Et confirmatur ex SS. PP. qui passim aiunt, Filium appellari Verbum, quia procedit per intellectum, & Spiritum sanctum Amorem, quia procedit per voluntatem. Pro quo videndi sunt N. Salm. in præf. à num. 38.

24 Neque hic locum habet evasio Durandi asserentis, Filium improprie dici Verbum, & Spiritum sanctum Amorem. Nam ex eo, quod prædicta testimonia cum omni proprietate sumantur, nullum sequitur absurdum: ergo temerarium est ea accipere in sensu metaphorico contra mentem SS. PP. & Conciliorum. Adde primò: Nam eadem ratione loca Scripturæ, in quibus secunda persona dicitur Filius, possent in sensu improprio accipi: vnde Verbum non esset proprie Filius, quod est hæreticum. Adde secundò: Quia contra hanc evasione fiat id, quod ait D. Thomas infra quæst. 34. art. 1. ad 1. vbi Origenem appellat fontem Arianorum, eò quod dixit, Filium non esse proprie Verbum, quod dicere videtur Durandus.

25 Deinde probatur ratione: Nam diuinæ processionis esse debent esse secundum actionem immanentem naturæ purè intellectuali: ergo debent esse secundum operationes intellectus, & voluntatis; & consequenter proxime ab intellectu, & voluntate. Antecedens est certum: nam diuinæ processionis nequeunt esse secundum actiones transeuntis, aliàs non essent intra Deum; neque secundum actiones immanentes, que non sint purè spirituales, aliàs non essent actiones naturæ diuinæ, cum hæc sit purè spiritualis. Consequentia verò probatur: Nam in natura purè spirituali nulla datur operatio immanens præter operationem intellectus, & voluntatis, ut liquet in Angelis: ergo processionem diuinam procedunt proxime ab intellectu, & voluntate. Tam etiam: nam operationes naturæ viventis vita purè spirituali debent esse vitales vitalitate purè spirituali; at illæ sunt solùm operationes intellectus, & voluntatis: ergo.

Et confirmatur: Nam de diuinis debemus philosophare per analogiam ad res creatas, secundum imperfectionibus; sed in rebus creatis operationes immanentes, v. g. intelligere, velle, & generare, non sunt actus immediatè à natura, sed medijs intellectu, voluntate, & potentia generatiua: ergo etiam in Deo.

Respondetis cum Durando, quòd licet in naturis finitis debeat processio fieri proxime à potentia realiter distincta, quia finitæ sunt; secus verò in natura infinita, qualis est diuina, ob oppositam rationem.

Sed contra: Licet enim cum infinitate naturæ diuinæ pugnet, quòd agat per vires proximas ab ipsa realiter distinctas, non verò quòd agat per vires proximas ab ipsa virtualiter, aut eminentialiter diversas: ergo cum intellectu, & voluntate solùm distinguantur virtualiter, aut eminentialiter à natura diuina, non est contra eius rationem, quòd processionem sit immediatè ab intellectu, & voluntate: sicut non est contra eius rationem, quòd natura diuina intelligat, & amet mediante intellectu, & voluntate.

Pro-

## Dub. II. Quænam sint principia processionum in diuinis?

26 Probatur conclusio alia ratione: Nam si natura diuina, ut præintelligitur intellectui & voluntati, esset principium proximum quo diuinarum processionum, non esset ratio, cur vna earum esset prior alia; vna esset generatio, & non altera; & cur essent tantum duæ; hoc non est admittendum: ergo natura diuina, ut præintelligitur intellectui & voluntati, non est principium quo proximum processionum diuinarum. Sequela maioris quoad primam partem probatur: Nam vtraque processio esset immediatè à natura: ergo non esset, cur vna esset prior, & altera posterior. Patet consequentia: quia ex ipsa natura non posset desumi prædicta ratio. Quoad secundam partem etiam suadetur: Quia si respectu vtriusque processionis esset idem principium proximum formale quo, nempe ipsa natura, pariter in vtraque communicaretur naturæ sed non esset ratio, rebus sic stantibus, cur formalissimè communicaretur alteri vni, & non alteri: ergo non esset ratio, cur processio vnius esset generatio, & non altera. Quoad tertiam suadetur: Quia natura diuina est infinita & infinite facienda; sed non ob id quòd sit principium proximum vnius processionis infinite, adhuc non est satiata: ergo neque esset ratio, cur esset satiata duplici processione.

27 Augetur difficultas: Semel quòd natura diuina, ut modificata per intellectum & voluntatem, sit principium diuinarum processionum, est sufficiens ratio, cur vna processio sit prior altera, vna generatio & non alia, & cur sint tantum duæ: ergo natura diuina non est principium quo processionum diuinarum, nisi medijs intellectu & voluntate. Antecedens probatur: Nam imprimis intellectus, & intellectio est prior voluntate, & volitione: deinde processio per intellectum, adhuc in creatis, est generatio secundum quid, secus verò processio per voluntatem: ergo si intellectus, & voluntas sunt principia proxima processionum, redditur sufficiens ratio, cur vna sit prior altera, & cur vna sit generatio, & non alia. Et tandem in natura purè intellectuali non datur nisi hæc duplex potentia, quarum vnaqueque producit in Deo terminum infinitum ad intrâ, & adæquat & explentem totam vim ipsius potentie: ergo redditur sufficiens ratio, cur sint duæ, & non plures.

Et confirmatur: Nam ordo, pluralitas, & diversitas processionum debet desumi ex principijs earum; sed supposito quòd natura diuina sit principium proximam processionum, nullus est ordo, nullaque pluralitas, & diversitas ex parte principij: ergo nulla esset diversitas, pluralitas, aut ordo inter diuinas processionem. Maior, in qua tantum potest esse difficultas, suadetur: Nam processionem sumunt suam speciem à principio proximo: ergo etiam ordo, pluralitas,

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

litas, & diversitas processionum debet desumi ex principijs earum.

28 Nec refert, si dicas, quòd à natura fluunt immediatè passionem, & hoc non obstant redditur ratio, cur vna sit intellectus, & alia voluntas, & vna prior alia. Non (inquam) refert: Nam propterea passionem dimanant à natura in determinato numero, & ordine, quia ex se sunt prima accidentia, & non petunt oriri ab ea medijs alijs principijs proximis; & tandem natura ex se est determinata ad vnam, & per hanc determinatur ad aliam: & cum passionem nequeant esse infinite, perveniri oportet ad ultimam; sed hæ rationes locum non habent in actionibus: siquidem illæ ex se petunt oriri à natura medijs potentijs proximis: ergo est nota disparitas inter passionem naturæ, & inter eius actionem.

29 Sed arguitur primò ex D. Hilario, qui lib. de Synodo ait, quòd voluntas Dei actualiter creaturis substantiam, quam habent, sed natura Filio. Et confirmatur ex Damasc. lib. 1. fidei cap. 8. vbi ait: Generatio est opus naturæ: ergo processio Verbi non est actus intellectus, sed tantum natura.

Respondetur, generationem Verbi dici à Patribus opus naturæ: vel quia communicatur ei natura ex vi processionis: vel quia processio eius est necessaria, & nullo modo libera. Hoc vltimum videtur esse magis consonum Patri mentis: quia agebant contra Arium dicentem, Filium esse creaturam, ac proinde eius processionem liberam. Ad quod impugandum non poterunt non asserere, quòd generatio eius est opus naturæ.

30 Arguitur secundò: Nam actus intellectus, & voluntatis sunt essentielles, & toti Trinitati communes; sed processionem sunt actus notionales, & ita Pater generat, & non Filius; & Pater & Filius spirant, & non Spiritus sanctus: ergo processionem non sunt actus intellectus, & voluntatis. Et confirmatur: Per actus intellectus, & voluntatis nihil producit: ergo processionem non sunt actus intellectus, & voluntatis. Antecedens probatur ex 9. Metaph. text. 116. vbi dicitur, hanc esse conditionem actus intelligendi, & volendi, ut distinguitur ab actione transeuntis, vt ex illo nihil sequatur: ergo.

Ad argumentum respondetur, quòd licet actus intellectus, & voluntatis absolute sint essentielles: tamen, ut connotant relationes, sunt notionales; & prout sic possunt esse processionem. Ad quam solutionem tenetur recurrere Durandus, siquidem essentia est etiam communis toti Trinitati. ¶ Ad confirmationem respondetur, quòd discrimen positum à Philosopho inter actionem intelligendi, & actionem transeuntem tripliciter potest intelligi: Primò, quòd actus intelligendi ex ratione generica &

B

comg

communi non producit terminum, e contra vero actio transiens essentialiter petit terminum. Ex quo colligitur, quod actus intelligendi aliquando non producit terminum, ut visio beata, ob peculiarem sui rationem; & aliquando illum producit, ut ceteræ intellectiones create, & intellectio primordialis Dei ex fecunditate. Secundum, quod actio transiens producit terminum ob consistentiam illius; secus vero intellectio nisi ob necessitatem obiecti, quod per seipsum non valet intellectiōem terminare. Tertio, quod actio transiens respicit ut *finem* terminum productum; actio vero intelligendi non respicit ut *finem* suum terminum; sed e converso: quia intellectio non est propter terminum, sed terminus propter intellectiōem.

31. Arguitur *tertio*: Nulla creatura generat per intellectum, & voluntatem: ergo neque in divinis. Patet consequentia: nam, ut sæpe diximus, divina debemus intelligere ad modum eorum, quæ sunt in creaturis. Antecedens vero probatur: Nam imprimis equus, & leo non generant per has potentias: item Angeli, qui sunt pure spirituales, non habent fecunditatem ad generando alios Angelos: tandem creaturæ mixtæ ex corpore & anima, ut homines, non generant per intellectum & voluntatem sibi simile, sed per potentiam corpoream.

Respondetur *in primis* instando argumentum contra Durandum: siquidem natura creatura immediate non generat, sed media potentia generativa; & tamen natura divina generat immediate: ergo quamvis nulla creatura genere per intellectum, & voluntatem, non sequitur Deum non generare per has potentias. Deinde respondetur, quod creaturæ pure spirituali licet non competat generare per intellectum *in esse* naturali, convenit tamen ei generare *in esse* intelligibili. Ex quo arguitur recte, quod Deus generet per intellectum; & cum eius generatio debeat esse perfectissima & substantialis (quia absoluta est ab omni imperfectione) inde est, quod debeat generare per intellectum simul *in esse* intelligibili, & naturali.

## §. III.

## Assertio tertia.

32. **D**icendum est *tertio*, processionem non esse à relationibus paternitatis, & spirationis activæ tanquam à principio proximo *quo*. Ita Div. Thomas infra quæst. 41. art. 5. & cum eo communiter Theologi. Et probatur ratione: Nam illud in creatis est principium *quo*, in quo agens assimilat sibi terminum: ergo similiter in divinis, sed Filius non assimilat Patri in personalitate seu relatione: ergo principium *quo* proximum processionum non

est relatio. Minor subsumpta patet: Nam Filius in relatione potius est dissimilis Patri, cum dicat oppositionem relativam.

Et confirmatur *primò*: Nam relatio paternitatis est ipsa subsistentia, & terminus naturæ constituens personam; sed subsistentia seu personalitas non est principium *quo*: ergo relatio non est principium *quo*. Probatur minor: Nam ratio principij proximi *quo* competit ei, quod habet rationem virtutis naturæ; sed subsistentia non est virtus naturæ, sed terminus eius ut constituens principium *quod*: ideoque ex diversitate subsistentiæ non inferitur diversitas operationum (ut liquet in operationibus Christi, quæ essent eiusdem rationis, esse humanitas eius dimitteretur à Verbo) sed ex diversitate potentiarum: ergo personalitas non est principium *quo*. ¶ Confirmatur *secundò*: Principium *quo* radicale est natura: ergo non oportet, quod principium *quo* proximum sit relatio. Confirmando probatur: Ideo relatio esset principium *quo* tantum, quia principium proximum debet esse relationale; sed principium radicale non debet esse in recto notionale, sed sufficit, quod sit natura ut canonizans relationem: ergo idem potest, & debet dici de principio *quo* proximo.

33. Sed obijciat: Principium *quo* processionis debet distingui à termino *quo*; sed nullum predicatum absolutum distinguitur realiter à termino *quo* processionum in divinis: ergo relatio est principium *quo* proximum processionum. Minor est certa. Et maior probatur: nam principium *quod* debet in omni processione distingui à termino *qui*: ergo etiam principium *quo* à termino *quo*.

Et confirmatur: Nam principium *quo* debet distingui à termino *qui*; sed nullum predicatum absolutum distinguitur realiter à termino *qui* in divinis: ergo relatio est principium *quo* processionum in divinis. Maior probatur: Nam propterea terminus *qui* distinguitur realiter à principio *quod* adhuc in divinis, quia verè & realiter progreditur ab eo; sed etiam progreditur à principio *quo*: ergo etiam distinguitur à principio *quo*. ¶ Adde *primò*: Nam principium *quo* magis obtinet rationem principij, quam principium *quod*, cum illud sit tale ratione sui, & hoc non sit nisi ratione principij *quo*; sed principium *quod* distinguitur à termino *qui*, quia est principium reale illius: ergo etiam principium *quo*. Patet consequentia: Nam propter quod unumquodque tale, & illud magis. ¶ Adde *secundò*: Principium *quo* realiter refertur ad principiatum, seu ad terminum *qui*, non minus proprie quam principium *quod*: ergo realiter distinguitur ab eo. Patet consequentia: quia nihil potest referri realiter ad seipsum. ¶ Adde *tertiò*: Nam principium *quo* est ratio distinguendi principium *quod* à termino *qui*, siquidem

idem est ei ratio illum producenti: ergo etiam principium *quo* distinguitur realiter à termino *qui*.

34. Ad obiectionem respondetur, negando maiorem. Et instari potest in sententia opposita: nam quamvis relatio esset principium *quo* proximum processionum, non debet distingui à termino *quo*: hic enim in omni processione non est relatio seu subsistentia, sed natura aut quid simile de linea absoluta; ut liquet in generatione hominis, cuius terminus *quo* est humanitas, non subsistentia; & in processione caloris, cuius terminus *quo* est calor, non relatio; & sic de singulis. Ad eius probationem dicendum est, esse latum discrimen inter principium *quod* relate ad terminum *qui*, & principium *quo* relate ad terminum *quo*: nam ratio principij *quod*, & termini *qui* est propria personæ, & terminus *qui* est relatio, iuxta illud vulgare proloquium: *Actio, & passiones sunt suppositorum, seu subsistentium*: de ratione autem personæ est esse incommunicabilem, quod in divinis est propriissimum relationis: si ergo principium *quod*, & terminus *qui* constituantur per relationes oppositas, & incommunicabiles, plane inferitur, quod principium *quod*, & terminus *qui* debeant distingui realiter. At principium *quo* est proprium virtutis, naturæ, & actualitatis, de cuius ratione est, quod non sit incommunicabilis nisi ratione limitationis, cum omne agens intendat assimilare sibi terminum, non in subsistentia, ut ex supradictis patet, sed in natura, virtute, aut perfectione ipsius agentis. Unde cum natura divina, cuiusque processio ad *intrà* sit infinita, necesse est, quod terminus eius *quo* evadat omnino similis, consubstantialis, & identificatus cum principio *quo*. Et ita tam longe ab eo est, quod distinguitur realiter ex parte recti, ut potius petat, in eo quod est de ratione termini formalis, esse omnino identificatum cum principio *quo*. Sufficit ergo, quod distinguantur ad invicem ex parte connotati, quod est relatio.

35. Ad confirmationem respondetur, negando maiorem. Quia, ut ex proxime dictis constat, principium *quo* processionum quoad rectum debet esse de linea absoluta; & ut recte supponit confirmatio, nullum predicatum absolutum distinguitur realiter ab aliqua persona, quæ est terminus *qui*. Ad cuius probationem dicendum est, quod ratio adequata, cur terminus *qui* distinguitur realiter à principio *quod*, non est quia procedit ab eo utrumque, sed quia procedit ab eo ut à principio *quod*, de cuius ratione est, quod sit incommunicabile, & de linea relativa quoad rectum. At de ratione principij *quo* potius est esse communicabile, nisi sit limitatum, ac proinde nequit esse de linea relativa. Et hæc ratio quamvis terminus *qui* progrediat a principio *quo*, non debet distingui realiter ab

Paul. Theolog. Salm. Tom. II.

eo quoad rectum, sed sufficit, quod distinguatur quoad obliquum.

36. Ad primum additamentum respondetur ex dictis, concedendo præmissas; & negando consequentiam. Nam principium *quod* non distinguitur realiter à termino *qui*, quia est principium reale illius utrumque, sed quia est principium *quod*, in quo clauditur esse quoad rectum de linea relativa, & esse incommunicabile. Oppositum contingit in principio *quo* quoad rectum: ideoque quamvis principium *quod* non nisi ratione illius sit principium termini *qui*, non tamen debet ab eo realiter distingui. Ad *secundum*: Respondetur, quod principium *quo* sit ratio producendi, non vero debet esse ratio distinguendi: quia simul est ratio assimilandi terminum, & quod est ratio assimilandi non potest esse ratio distinguendi. Unde in divinis processionibus aliud est, quod est ratio distinguendi, ut est relatio; & aliud quod est ratio producendi seu assimilandi, ut est virtus. Dicit tamen relationem in obliquo, ut prædicta virtus evadat modificata; & ratione huius modificationis in Patre producit, & non in Spiritu sancto.

37. Ex quibus duo plane inferuntur. *Primum est*: principia proxima quibus divinarum processionum esse intellectum, & voluntatem. Quod breviter suadet ex sufficienti partium enumeratione: nam quoad rationem principij proximi quod divinarum processionum solum potest dubitari de natura divina ut præintellecta intellectui, & voluntati, de relationibus paternitatis, & spirationis activæ, & de intellectu, & voluntate: quia in Deo non dantur aliz potentie ad operandum ad *intrà*, sicut nec in Angelo, & anima nostra, ut expressè docet D. Thomas infra quæst. 54. art. 5. sed principium proximum *quo* non est natura, nec relatio: ergo sunt intellectus, & voluntas. *Secundum est*: quod hæc potentie nequeunt constitui in ratione principij nisi dicant de connotato prædictas relationes respectivè; aliis potentia generativa formaliter ut talis esset in tribus personis.

## DUBIUM III.

An actus intellectus, & voluntatis, in quibus divina processionem consistunt, sint ex eoque distincti ab intelligere, & velle?

**P**robatum manet dubio præcedenti, processionem divinas esse actus intellectus, & voluntatis: modò in examen vertitur, an tales actus sint intelligere, & velle; vel potius alij ab eis ex æquo distincti? Et supposito quod sint

B 2 intel.

*intelligere*, & *welle*, an sint *intelligere*, & *welle* virtualiter distincta ab *intelligere*, & *welle* primordialibus? Quæ triplī conclusionē resolvemus, specialiter tamen erit sermo de processione Verbi claritatis, & brevitatē gratia: quia quidquid de hac dictum fuerit, applicari debet processioni Spiritus-sancti.

## §. I.

## Prima Assertio.

38 **D**icendum est primò, processiones divinas active sumptas non esse actus ex æquo & virtualiter diversos ab *intelligere*, & *welle*, sed dictionem verbi esse formaliter actum intelligendi, seu *intelligere*. Hæc conclusio est valde consentanea ipsi, quæ tradunt N. Complut. abbrev. de Anim. disp. 20. quæst. 3. ubi id ipsum suadent, & vident in dictione creata: illamque docent omnes Thomistæ, quibus suffragantur plures ex Societate.

Et probatur primò ex D. Thoma hic art. 1. ubi ait: *Quicunque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, producit verbum*; sed si dictio esset actus ab intellectu ex æquo distinctus, nõ ex hoc ipso quòd intelligeret, produceret verbum, sed ex hoc ipso quòd eliceret aliam actionem ab intellectu distinctam: ergo iuxta D. Thom. dictio est formalissimè intellectio. Idem tradit infra quæst. 34. art. 1. ad 2. & 4. Contra gent. cap. 11. ubi inquit: *Est autem de ratione verbi interioris, quòd procedat ab intelligente secundum suum intelligere, cum sit quasi terminus intellectualis operationis*. Ergo operatio, cuius terminus est verbum, est intellectio; sed verbum est terminus dictionis: ergo dictio est formaliter intellectio. ¶ Nec prodest dicere, D. Thom. loqui de verbo creato. Non (inquam) prodest: Tum, quia si dictio creata est formaliter intellectio, non est ratio, cur dictio divina non sit etiam formaliter intellectio: cum ea, quæ in creatis solent esse dispersa, in divinis sint valde unita. Tum etiam: quia D. Thomas post verba relata statim subiungit, & infert: *Oportet igitur, quòd à Deo secundum suum intelligere procedat verbum ipsius*.

39 Probatur deinde ratione: Nam omne verbum intellectuale procedit ex noticia rei intellectæ: ergo procedit per *intelligere*. Antecedens probatur: Tum, quia verbum procedit per operationem intellectus; sed operatio propria & adæquata intellectus est intellectio seu noticia rei intellectæ, sicut actus adæquatus potentie visivæ est noticia, visio, aut cognitio rei visibilis: ergo verbum procedit ex noticia rei intellectæ. Tum etiam: nam hoc ipso quòd verbum producat, res intellectæ habet esse talem intransitive ratione verbi: ergo verbum procedit ex noticia rei intellectæ. Tum denique, & simul declaratur præcedens probatio: nam de essentia ver-

bi est esse actum *intelligere*; sed repugnat actum *intelligere* formaliter ut tale produci nisi ex noticia rei intellectæ, seu intellectio: ergo omne verbum intellectuale procedit ex noticia rei intellectæ. Maior est certa: nam quia species intelligibilis reddit obiectum actum intelligibile. eius essentia consistit in esse actum intelligibilem: pariformiter quia effectus formalissimus lucis est reddere corpus actum lucidum, eius essentia consistit in esse actum lucidum: ergo cum effectus formalissimus verbi sit reddere obiectum actum intellectum, eius essentia debet consistere in actu *intelligere*. Maxime, quia id expresse tradit D. Thomas loco supra relato Contra gent. Minor probatur: Nam repugnat actum lucidum ut tale produci nisi ab illuminatione, & actu calidum nisi a calefactione: ergo repugnat actum *intelligere* produci nisi ab intellectu, seu noticia rei intellectæ. Adde: quòd si essentia verbi consistit in actu *intelligere*, est manifestatio formalis, & lux passiva intellectus: ergo petit procedere à manifestatione, seu luce actus, illius; sed noticia rei intellectæ seu intellectio est ipsa manifestatio activa intellectus: ergo verbum petit procedere ex noticia rei intellectæ, seu ex intellectu. Ex quibus probationibus præoccupatus manet communis recursum Scoti ad obiectum actum intellectum, ut est quid productum, & ut est quid intellectum; ut consideranti constabit.

40 Ultimò probatur conclusio ex specialibus nostris principiis. Nam potentia generativa in Deo est intellectus: ergo actualis generatio est ipsum *intelligere*. Probatur consequentia (antecedens ex dictis dub. præcedenti liquet.) Nam in Deo potentia generativa non distinguitur virtualiter ab actuali generatione, sicut nec intellectus ab intellectu, & voluntas à volitione; sed hoc stare non possit, si actualis generatio, seu dictio in divinis distingueretur virtualiter ab intellectu: ergo si intellectus est potentia generativa, etiam *intelligere* est absque distinctione virtuali dictio, seu actualis generatio. Minor probatur: Nam repugnat, actus adhuc inadæquatos alicuius potentie omninò indivisibilis distingui virtualiter ex æquo inter se, quin potentia distinguitur virtualiter ab utroque: quia sicut quæ sunt eadem vni tercio omnibus modis, sunt etiam idem inter se; ita impossibile est, quòd ea, quæ sunt diversa inter se, sint idem vni tercio.

## §. II.

## Assertio secunda.

41 **D**icendum est secundò, *intelligere*, in quo processio Verbi divini consistit, non esse *intelligere* aliquod notionale, sed absolutum. Hanc conclusionem tenent communiter Theologi, contra Henricum de Gandavo

davo quodlib. 6. quæst. 1. eamque expresse docet D. Thomas infra quæst. 37. art. 2. ad 1. ubi ait, quòd *intelligere* in divinis non sumitur nisi essentialiter: ergo nullum est in Deo *intelligere* notionale, per quod producat Verbum divinum, sed producat per *intelligere* absolutum.

Et probatur ratione: Nam in Deo non datur duplex intellectus, alius essentialis, & alius notionalis: ergo neque est in eo duplex *intelligere*, aliud essentialis, & aliud notionale. Antecedens videtur certum: quia in Deo non datur duplex iustitia, alia notionalis, & alia essentialis: cur ergo ponendus est duplex intellectus, alius essentialis, & alius notionalis? Consequentia verò probatur: tum à paritate. Tum etiam: quia vna & eadem indivisibilis potentia nequit habere duplicem actum pertinentem ad lineam adæquate diveram; alia ipsa potentia pertinet etiam ad illam duplicem lineam: ergo si non datur duplex intellectus, alius essentialis, & alius notionalis, neque dari potest duplex *intelligere*, aliud essentialis, & aliud notionale. Tum deinde: quia iam intellectus, qui est potentia generativa in divinis, distingueretur virtualiter adæquate, vel ab *intelligere* essentiali, vel ab *intelligere* notionali, vel ab utroque; ut probavimus ratione numero præcedenti enucleata. Tum denique: nam si daretur *intelligere* notionale, non distingueretur à paternitate, siquidum esset relatio, & in Patre nequit esse nisi duplex relatio, paternitas videlicet in ordine ad Filium, & spiratio activa in ordine ad spiritum sanctum; sed paternitas nequit constituere *intelligere* ex æquo distinctum ab *intelligere* absoluto: quoniam omne *intelligere* est actus vitalis, & perceptio obiecti; paternitas verò non est actus vitalis, neque perceptio obiecti, sed terminus naturæ dicens tantum ordinem non ad obiectum, sed ad suum terminum correlativum: ergo.

42 Probatur insuper alia ratione. Nam permisso quòd in Patre datur *intelligere* notionale ex æquo distinctum ab essentiali, Verbum divinum procederet per essentialis: ergo *intelligere*, in quo processio Verbi divini consistit, non est notionale, sed essentialis. Antecedens probatur: Tum, quia intellectus, quamvis sit absolutus, est principium quo proximum Verbi, connotata tamen paternitate: item essentia divina, connotata eadem paternitate, est principium radicale quo Verbi: ergo pariter *intelligere* essentialis, connotata etiam paternitate, est actualis productio & generatio Verbi. Tum etiam: nam Verbum divinum petit produci per *intelligere* perfectissimum, dummodò hoc habeat omne id, quod requiritur, ut sit secundum; sed *intelligere* primordiale est pro expulso perfectius, quam notionale, cum sit constitutum naturæ diving; & connotata paternitate, habet quidquid requiritur, ut sit secundum: ergo.

43 Sed obijces primò: Nam per simplicem apprehensionem nullum verbum productura quia, ut inquit August. lib. 15. de Trinit. verbum formatur, quando non sunt volubiles cogitationes: & tunc accidit, quando post simplicem apprehensionem notitiam essentie rei per discursum assequimur; sed *intelligere* primordiale est adinfiam simplicis apprehensionis: ergo per illud non producit verbum.

Et confirmatur ex D. Thoma infra quæst. 41. art. 1. ad 2. ubi ait: *Dicendum, quòd actus notionales secundum modum significandi tantum differunt à relationibus personarum; sed res sunt omninò idem. Unde Mag. dicit in 1. Sent. dist. 26. quòd generatio & nativitas alij nominibus dicuntur paternitas, & filiatio*. Et art. 4. eiusdem quæst. ad 3. inquit, quòd in Deo datur potentia respectu actuum notionalium, non verò respectu essentialium: ergo sentit hos actus esse ex æquo distinctos.

Obijces secundò: Ita comparantur inter se generatio activa, & paternitas, sicut generatio passiva, & filiatio: ergo generatio passiva significat, & importat in recto relationem: ergo etiam generatio activa. Maior à paritate constat: & minor continet expressam doctrinam N. Salm. in præf. disp. 2. n. 120.

44 Ad primam objectionem respondetur, negando maiorem: Quia nulla est intellectio creata, excepta visione beata, quæ non producat verbum, ut rectè probant N. Complut. abbrev. in lib. de Anim. disp. 20. a. 24. Neque oppositum docet D. August. quia tantum vult, quòd per cogitationes quibus cogitamus, an debeamus inquirere notitiam perfectam, non formatur verbum essentie rerum; non tamen negat, quòd formetur verbum representans id, quod cogitamus.

Ad confirmationem, & primum testimonium D. Thomæ: Respondetur, S. Doctorem nunquam asseruisse rectum generationis esse virtualiter indistinctum à paternitate, sed non distinguere ex parte rei significatæ, sed tantum ex modo significandi ab ea, secundum id quod addit in obliquo, quòd verisimile est. Pro cuius recta intelligentia, nota cum N. Salmant. in Comment. ad prædictum artic. & Godoy disp. 71. num. 43. nomen *processionis* est modo significandi fuisse impositum ad significandum motum cum aliquo ordine: vnde cum in divinis non datur motus, inde est, quòd ex modo significandi non significat nisi relationem. Sed ex parte rei significatæ adhuc restat absolutum, quòd est rectum generationis, & ex parte rei significatæ distinguitur virtualiter à paternitate: Hæc expolitio est iuxta mentem Div. Thomæ quæst. 2. de Potent. art. 5. ubi ait: *Generatio significat actionem cum aliquo respectu: Et potentia generandi significat potentiam cum respectu*.

Ad secundum testimonium D. Thomae respondetur, S. Doctorem negare rationem *potentiae* respectu actuum essentialium; illamque concedere respectu notionalium: non quia isti adaequate & ex parte recti distinguantur ab illis; aliis distinguantur realiter, siquidem D. Thomas loquitur de potentia reali, & non tantum virtuali. Vel quia ratio *potentiae* non explicatur relata ad actum notionalem, sed relata ad terminum à se productum. Per quod sufficienter apparet discrimen intentum à D. Thoma: Etenim potentia divina ita ad actum essentialem comparatur, quod nec producat adhuc virtualiter illum, nec aliquem terminum; ac licet non producat villo modo actum notionalem, producit tamen realiter terminum. Et ob hanc rationem in aliquo vero sensu potest dici, quod in Deo est potentia relata ad actum notionalem, non in seipso, sed terminative sumptum; secus vero ad actum essentialem.

45 Ad secundam obiectionem sunt; qui respondeant, negando minorem. Quia filiatio nequit dici in recto *generatio passiva*: quia non habet rationem formae, sed tantum est complementum illius. Ita Godoy disp. 71. num. 52. refertens Zamelen: & N. Salm. supponunt hoc ut probabile in praef. disp. 1. num. 40. Nec caret fundamento in D. Thoma: nam quest. 9. de *Potent.* art. 9. ad 3. ait: *Eadem potentia est Patris, & Filii, per quam & Pater generat, & Filius generatur.* Sed probabilius, iuxta ipsos Salm. loco in obiectione relato, negamus maiorem. Et ratio disparitatis est: quia relatio in recto est producibilis; non vero absolutum; e contra tamen relatio in recto nequit esse vis productiva, iuxta dicta n. 32. Hinc oritur, quod relatio in recto potest esse generatio passiva, & nequit esse generatio activa. Ad quod explicandum nota, quod natura divina ad constituendam generationem tam activam, quam passivam nequit praestare, nisi quod nequit praestari à relationibus; sicut e contra relationes id praestant, vel quod possunt praestare, vel quod nequit praestari à natura. Unde cum relatio nequeat praestare hoc, quod est esse generationem activam, quia est proprium virtutis, propterea essentia est rectum generationis activa: at quia relatio est actualis productio passiva, potest esse rectum generationis passivae, & non essentia.

## §. III.

## Assertio tertia.

46 Dicendum est tertio, intelligere primordiale, ut sit generatio activa, debet superaddere aliquem modum virtualiter distinctum. Ita D. Thomas pluribus in locis, quae passim offendunt. Et probatur ratione: nam intellectus absolute considerata convenit

Filio, & Spiritui sancto; atqui in illis est infecunda, & non producit verbum: ergo ut sit fecunda in Patre, aliquid debet importare, ratione cuius, vel ob cuius connotationem producat verbum; sed hoc non est specialis actus, ut probatum manet in duabus assertionibus praecedentibus; neque est aliquid absolutum, quia hoc etiam est in Filio, & Spiritui sancto: ergo est aliqua modificatio, quae à relatione paternitatis provenit.

Hoc explicant N. Salm. in praef. disp. 1. à n. 67. exemplo satis accommodato: Etenim sicut habitus scientificus naturalis producit per actum scientificum, non qui sit ex aequo distinctus ab eo, qui tangit obiectum, sed per eundemmet, quantum importat quandam fecunditatis modum, ita ex actu & modo complectur actus fecundus, & actus producens habitum; sic in divinis Verbum producit per *intelligere* essentiale attingens Deum ut obiectum addito fecunditatis modo, relatione scilicet connotata, ita tamen quod relatio seu modificatio non sit ipsa fecunditas, sed connotatum necessarium, ut in intellectu primordiali vere detur, & explicetur fecunditas.

Sed est discrimen valde notandum inter exemplum; & rem de qua agimus: siquidem ille fecunditatis modus actui scientifico superadditus, & modus seu expressio superaddita intellectui creatae, qua verbum producit, est aliquid importatum in recto: quia cum sit limitatus, indiget ad fecunditatem modo intrinseco fulciri. At relatio, quae omnino requiritur ad fecunditatem intellectus primordialis, se habet per modum puri obliqui: quia cum sit infinita in linea actus, solum exigit connotatum ad oppositionem & distinctionem à termino, non vero ut agat, det, & perficiat. Hoc ergo connotatum in Patre solum potest esse paternitas, quia, ea excepta, quidquid in eo reperitur, datur etiam in Filio.

Confirmatur: Nam potentia generativa in Deo est essentia divina, seu intellectus, connotans paternitatem, ut docet infra D. Thomas quest. 41. art. 5. sed potentia generativa, seu intellectus est ipsummet *intelligere* constitutum Dei: ergo actualis productio est ipsamet intellectio constitutiva Dei connotans paternitatem. Patet consequentia: tum, quia potentia in Deo non distinguitur virtualiter à suo actu. Tum etiam: quia non est, cur intellectus sit fecundus in actu primo, paternitate se habente pure ut connotato extrinseco, & non intellectu.

47 Sed objicies primo: Modificatio superaddita intellectui primordiali modo explicato est insufficientis ad constituendam eam in ratione *distinctionis*: ergo necesse est addere aliquid virtualiter distinctum, quod se teneat ex parte recti. Antecedens probatur: Nam *intelligere* essentiale formalissimè sumptum tantum habet esse

esse actualissimam perceptionem, & manifestationem obiecti; ergo ut coniuncta cum paternitate solum tribuit Patri praedictum effectum formalem; sicut illum praestat Spiritui sancto: ergo modificatio superaddita intellectui primordiali modo explicato, est insufficientis ad constituendam eam in ratione *distinctionis*.

Secundo: Non ob aliam rationem volitio distinguitur virtualiter à natura divina, nisi quia radicatur in ea, & est actus secundarius ipsius: radix enim; & radicatum debent virtualiter distingui; sed dictio radicatur in natura divina, quae consistit in *intelligere* actuali: ergo dictio superaddit aliquid in recto supra *intelligere* primordiale.

Ad primam obiectionem respondetur: quod intellectio essentialis non solum habet esse actuale perceptionem obiecti, sed etiam habet quiddam requiritur ex parte recti ad exprimendum Verbum divinum: hoc tamen munus nequit exercere, nisi sit modificata per paternitatem per modum connotati. Et quamvis intellectus Personis divinis sit *per se* expressio *manifestandi* & *percipiendi obiectum*, eò quod est infinita, & constituens naturam divinam, at natura divina, quae aliis petit connaturalissimè esse in tribus personis, non se dat adaequate unicuique illarum, sed iuxta capacitatem earum tribuit eis diversa munera, ita ut est in Patre, & connotans paternitatem, praestet ei producere Verbum; & prout est in Filio, connotata filiatione, tribuat ei esse genitum; & prout est in Spiritu sancto, connotata spiratione passiva, det ei esse spiratum.

Ad secundam respondetur: esse notam disparitatem inter volitionem, & dictionem relata ad naturam divinam, seu ad *intelligere* essentiali: Quia volitio radicatur in natura, seu in *intelligere* ut actus valens constituere lineam adaequate diversam, & subsecutam ad lineam naturae, eò quod fertur in eam ut pondus & impulsus, ut suo loco diximus. At dictio, cum consistat in *intelligere*, constituit ipsam naturam: unde estò nomine tenus dicatur in ea radicata; est tamen quoad rectum ipsa natura, quia est intellectio, ut diximus in prima assertionem.

## §. IV.

## Argumenta prima &amp; praecipue conclusioni opposita.

48 Sententiam nostrae primae assertioni oppositam tenet Scotus in 1. dist. 2. quest. 7. cum suis discipulis: pro qua referuntur etiam nonnulli Nominales, & Molina in praef. disp. 1.

Et arguitur primo: *Intelligere* adhuc in divinis est existentia Verbi: dicere autem est

actualis productio illius: ergo distinguuntur virtualiter. Maior apud nos est certa: & minor evidens. Consequentia vero probatur: nam existentia termini producti debet distingui saltem virtualiter à sui productione, sicut in creatis distinguuntur realiter. Et confirmatur: Dictio non includit intellectioem: ergo distinguitur ex aequo ab ea. Antecedens probatur: Nam dictio se tota distinguitur à verbo; sed intellectio non distinguitur ab illo: ergo dictio non includit intellectioem.

Ad argumentum respondetur, concessis praemissis, negando consequentiam. Ad cuius probationem dicendum est, quòd quamvis productio termini debeat distingui in creatis ab existentia illius naturali, secus vero in *esse* intelligibili; ideoque intellectio creata absque distinctione reali exercet, & rationem productionis Verbi, & rationem existentiae intelligibilis. Quod potiori titulo dicendum est de *intelligere* divino, quòd ita est actualis productio, ut propter sui eminentiam sit existentia illius tam in *esse* intelligibili, quam in *esse* naturali, diverso tamen modo considerata: nam passivè consideratum est existentia Verbi, & activè acceptum est productio illius.

Ad confirmationem respondetur: quòd sicut Pater se toto dicitur à Filio, sed non totaliter, quia habent essentiam communem, & diversas proprietates relativas; ita dictio se tota ratione connotati differt à termino, sed non totaliter, seu ex parte recti, quia ut *rectum* includit intellectioem, quam verbum habet.

49 Arguitur secundo: Dictio, & intellectio in creatis sunt duo actus ex aequo diversi: ergo etiam in divinis, proportione servata. Antecedens probatur: Nam dictio, & intellectio in creatis habent obiecta formaliter diversa: ergo sunt actus ex aequo diversi. Antecedens probatur: Obiectum formale dictionis est verbum *dictum*: obiectum intellectioem est obiectum ut *intelligendum*; sed haec sunt obiecta formaliter diversa: ergo dictio, & contemplatio in creatis habent obiecta formaliter diversa.

Explicatur hoc ex D. Thoma infra quest. 34. art. 1. ad 3. ubi ait: *Intelligere importat solum habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quadam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectae. Sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum: nihil enim est aliud dicere quam proferre verbum, sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam. Quae verba non solum suadent obiecta formaliter diversa dictionis, & intellectioem creatae, sed expressiori titulo in divinis: siquidem dictio iuxta D. Thomam respicit ut obiectum principalitatis, ac proinde specificationis, verbum dictum seu productum: ergo*